

Kleinere Rezensionen im Theol. Literaturblatt von Reusch, Jahrg. 1867, Nr. 8, Sp. 277 f.; Nr. 26, Sp. 915 f. Jahrg. 1869, Nr. 7, Sp. 225—227. Jahrg. 1870, Nr. 24, Sp. 922—924. — Im Lit. Handweiser, Jahrg. 1876, Nr. 188, Sp. 182—184.

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I. 1907. pg. 37—53.)

IV.

Abbatēs Generales usque ad „Quadripartitam“.

37. Antonius Perez, 1607—10.

Apud S. Dominicum de Silos Archidioecesis Burgensis ortus an. 1559, vitam monasticam amplexus est an. 1577 in Coenobio eiusdem loci, ex quo ad Universitatem Salmanticensem missus, completo studiorum curriculo ibidem per plures annos Sacram Theologiam docuit atque Lectoris ac Regentis munere magna cum laude functus est, quapropter an. 1604 Abbas S. Vincentii eligi meruit, indeque ad regimen totius Congregationis assumi. Postea fuit Definitor et Abbas Sti. Martini Matritensis primo an. 1617—21, deinde 1625—27, quo anno ad Episcopatum Urgellensem promotus est, declinato jam pridem Archiepiscopatu Sanctae fidei ob aetatem provectam infirmamque valetudinem. Anno 1633 ad Sedem Ilerdense[m] translatus, anno vix in ea expleto ad Archiepiscopalem Tarraconensem ascendit, quam quidem an. 1637 cum Abulensi commutavit episcopatu, cuius possessionem suscipere non valuit morte correptus Matrili apud S. Martinum die prima mensis Maii eiusdem anni. Plura reliquit ingenii sui monumenta, quae suo loco memorabuntur.¹⁾

38. Placidus de Tosantos, 1610—13,

nobili genere progenitus, lucem vidit in oppido Belorado, item Archidioecesis Burgensis, an. 1562, sacrumque Religionis nostrae suscepit habitum die 9. Augusti 1578 in Monasterio Aemilianensi; Studia philosophica perfecit in nostra Universitate Hirachensi, theologica vero in Salmanticensi. Verbi divini praedicatione clarus,

¹⁾ Yepes, VII, 344; Argaiz, »Perla de Cataluña«, pag. 230, 399, 458, 477. Idem. »Soledad laureada«, II, 65—66, 157v—169; »Villanueva«, »Viage literario«, XI, 155; XVII, 81—2; XX, 47—49; Lafuente, »Historia eclesiastica«, V, 562, 565, 567; Gams, O. S. B., »Series Episcoporum . . .« 44, 77, 87; Ferotin, op. cit. 240—42, 206.

eficitur unus ex Concionatoribus generalibus Congregationis, et deinde inter regios adnumeratur a Philippo III, qui eum Romam misit pro causa Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis definienda, quod etsi non obtinuit, magnum tamen sibi nomen comparavit, quapropter vacante tunc temporis episcopatu Accitano, vix in Hispaniam reversus, ad illum euectus est an. 1619, consecratusque in Monasterio Sti. Martini Matritensis, cuius bis fuerat Abbas, nempe an. 1601—4 et 1607—10. Philippus IV. ei obtulit Episcopatum Ovetensem, quem ob coeli temperiem recusavit, accepit tamen Zamorensem an. 1624, in quo vitam finivit eodem anno ita pauper ut vix quidquam praeter habitum ad corpus involvendum, inventum est.¹⁾

39. Alphonsus de Barrantes, 1613—17,

a Torre Julia in provincia Bethuriae, monachus vero Coenobii Corriouensis, cuius fuit Abbas primum an. 1601—4, iterumque hoc an. electus post mortem sui successoris Ferdinandi de Saravia, deinde tertio effectus ab an. 1610 ad 1613, quo ad regimen totius Congregationis vocari meruit, fuitque primus qui per quadriennium illam rexit iuxta Constitutiones noviter editas. Lectoris munere atque concionatoris diveris in locis explevit, laureaue Magisterii decoratus erat. Postremo Abbas Coenobii Stae. Mariae de Sopetran designatus, ibidem vitae cursum complevit an. 1626.²⁾

40. Antonius de Castro, 1617—21,

patre Comite potentissimo de Lemos Vallisoleti natus, tenerrima aetate habitum monasticum in Monasterio Stae. Mariae de Sopetran suscepit, ex quo ad Onniense Coenobium transiit ubi solemnem emissit professionem. Studia peregit philosophica in Collegio Sti. Stephani Ripae Silensis, theologica vero in Salmantino. Inaugurato vix Sacerdotio apud Monforte de Lemos, ubi eius frater tunc temporis Comes erat, praefectus est Asceterio Sti. Turibii de Liebana, ex quo ad Monasterium Hispalense transiit degitque donec a Capitulo Gen. an. 1610 renuntiatus est Abbas Sti Petri de Montes, expletoque quadriennio Definitor atque Praepositus Liebanensis. Anno 1617 ad supremam Congregationis dignitatem assumptus etiam regimen Coenobii Onniensis suscepit, verumtamen hoc resignavit anno sequenti ut liberius Congregationis gubernio vacare posset, quo laudabiter adimpleto, Abbas Matritensis factus est (1621—25). Secundo Definitor electus an. 1629 iterum pariter

1) Argaiç, »Perla«, 234, 398, 477; »Soledad«, I, 194; V, 239; VI, 91—92; Gams, 4, 92; Lafuente, V, 540, 556; Ferotin, 206.

2) Yepes, VI, 93; Argaiç, »Perla« 237, 239, 477; Heredia, 178.

Abbas Onniensis sequenti quadriennio renunciatur (1633), tamen post biennium Abbatiam resignavit. Deinde an. 1637 Hirachensis Praesul nominatus est, alioque quadriennio Definitor (1641), et tandem tertio quoque Abbas Onniensis (1645), ubi mansit postea usque ad 1651, quo pergens Matritum ad novum Coenobium Montserratense ibidem fundatum, die Dominica infra Octa. Corporis Christi post Missam prope Monasterium Stae. Mariae de Sopenan subita morte correptus est.¹⁾

41. Placidus Pacheco de Ribera, 1621—23,

filius Joannis Pacheco iudicis togati Vallisoletani, monachus vero Coenobii Salmanticensis, ubi spletis studiis, sacram Theologiam magno cum profectu docuit. Ita excelluit praecipue verbi divini praedicatione ut vocaretur „Cicero christianus“, quapropter Congregatio eum inter ejus Concionatores Generales adnumeravit. Praeterea illum constituit Abbatem suae Domus an. 1601, et deinde Hispalensem (1604) itemque Definitorem (1617—21). Anno tertio sui Generalatus Rex Catholicus Philippus IV. pro Sede Gaditana illum Stae. Sedi praesentavit, et Episcopus constitutus civitatem suam viriliter strenueque an. 1625 ab invasoribus anglis defendit, optimeque de regno meruit, quapropter ad memoriam et recognitionem egregii huius facinoris promotus fuit an. 1632 ad Episcopatum Placentinum, quem septem annis summo omnium plausu administravit. Meritis plenus obiit die festo Sti. Placidi Protomartyris O. N. 5. Octobris an. 1639, aetatis 72, doctrinae quoque suae nonnulla posteris relinquens monumenta.²⁾

42. Alvarus de Sotomayor, 1623—24,

gallaicus atque ex nobilissimo sanguine progenitus, monachus Coenobii S. Salvatoris de Cellanova, eiusdemque Abbas, primum anno 1613, deinde 1621 postquam hoc munere apud S. Salvatorem de Zelorio functus fuerat, regimen Congregationis suscepit ob promotionem praecedentis, sed non multo post, an. 1624, podagra vexatus obiit in suo Monasterio Cellaenovae die 29. Aprilis.³⁾

43. Facundus de Torres, 1624—25,

ex illustrioribus Sahaguntini oppidi familiis ortus, habitum suscepit die 29. Martii 1586 ibidem in Coenobio S. Benedicti, ubi virtute ac eruditione ita prae ceteris excelluit, ut vix studiorum curriculo adimplete, Magister designatus fuit Collegii quod tunc temporis erat pro iunioribus philosophiam discituris in Monasterio Samonensi,

¹⁾ Argaiz, »Perla«, 240, 389, 398, 477; »Soledad«, VI, 511—12; Ferotin, 206; Heredia, 264.

²⁾ Yepes, VII, 344v; Argaiz, »Perla«, 241, 247, 477; »Soledad« IV, 114, 318—19; Ferotin, 210; Gams, 19, 64; Lafuente, V, 552, 559.

³⁾ Yepes, V, 36; Argaiz, »Perla«, 247, 408, 478; Berganza, II, 331.

ex quo an. 1604 ob vitae meritum ad abbatialem dignitatem assumptus est sui antiquissimi coenobii Sahaguntini; postea factus est Definitor, deinde Abbas S. Joannis de Podio anno 1610, et iterum Sahaguntinus 1617, iterumque Definitor an. 1621, quo munere fungebatur cum obiit Alvarus de Sotomayor, in cuius locum suffectus est ut quadriennium adimpleretur. Anno 1625 tertio electus est Abbas Sahaguntinus, et paulo post adnumeratus inter regios concionatores a Philippo III, qui eum ad Archiepiscopatum Sti. Dominici, Indiarum Sedem Primatiales praesentavit an. 1629, ibique vitam finivit die 25. Septembris an. 1640. Claruit quoque scriptis, quae edidit, de quibus postea suo loco tractabitur.¹⁾

44. Gregorius Parcerro, 1625—29,

Tude in Galloecia ortus, monasticum induit habitum in Coenobio S. Martini de Compostella, studiaque complevit philosophica in Collegio Ripasilensi, theologica vero Salmanticae. Praedicationi divini eloquii deditus ita excelluit, ut inter quatuor Concionatores generales admunerari meruerit, et cum praeclare se gessisset, Abbas Ovetensis designatus est anno 1607, sociusque Abbatis Generalis an. 1617, atque Abbas Compostellanus 1621—25 Generalatu absoluto, electus fuit Abbas Sti. Martini Matritensis, et anno sequenti a Rege Catholico pro Episcopali Sede Helnensi Sanctae Sedi praesentatus fuit, ex qua anno 1637 ad Gerundensem transiit. Bello exorto Hispaniam inter et Galliam, Principatuque Gotholaunico a copiis utriusque occupato, in Matritum secessit, et in Monasterio Sti. Martini usque ad 1652 permansit. Anno sequenti translatus fuit ad Sedem Derthusensem, cuius tamen gubernacula non suscepit usque ad 1656, illamque pariter integerrime rexit, licet nonagenario maior, per septem annorum spatium. In laudem eius dicitur quod „quamquam plusquam centum annos vixit, tamen acumen ingenii in omnibus rebus habuit subtilissimum“. Animam Deo reddidit 17. Novembris 1663.²⁾

45. Joannes Diaz de Labandero, 1629—31,

natus in oppido Boadilla, provinciae Campaniae Vacceorum, monachus Coenobii Carrionensis ejusque Abbas an. 1607, iterumque 1613. Vixit in generalatus officio duobus tantum anniis obiit 1631.³⁾

¹⁾ Yepes, III, 203; V, 63; Argaiz, »Perla«, 379, 247, 381, 456, 478; Escalona, 209—10; Gams, 148; Hernaez, »Collecion de Bulas . . .«, tom. II, pag. 15.

²⁾ Yepes, III, 232v; Argaiz, »Perla«, 247, 399, 478; »Soledad«, II, 116v—17, 181v, 199; Gams, 33, 83; Lafuente, V, 565, 567; »España Sagrada« XLVIII, 145—55; Villanueva, »Viage literario«, V, 115; XIV, 103—5; O'Callaghan, »Episcopologio de Tortosa«, 205—7.

³⁾ Yepes, VI, 93v; Argaiz, »Perla«, 249, 478.

46. Maurus de Villaroel, 1631—33,

a Turre Syllana Dioecesis Vallisoletanae, Religioni nomen dedit in Monasterio S. Salvatoris de Lorenzana, fuitque Philosophiae Lector in Collegio Ripasilense, Prior quoque Salmanticensis, Abbas deinde Lorenzanensis, Definitorque Congregationis (1625), et postmodum Abbas Ripasilensis Collegii, quod regebat cum obiit Rmus. Joannes Diaz, in cuius locum successus est iuxta Constitutiones. Expleto Generalatus munere, factus est Abbas Salmanticensis (1633), et post biennium promotus ad Episcopalem Sedem Jacensem in Aragonia, quam undecim annis rexit eximiisque virtutibus decoravit, nihil de pristino vivendi modo in Praesulatu remittens usque ad mortem, quae obvenit die 23. Novembris an. 1646.¹⁾

47 Alphonsus de San Vitores, 1633—37,

patre burgense, matre flandrica in Belgio natus, vitam religiosam Burgis amplexus est in Coenobio Sancti Joannis Baptistae, evasitque monachus singularis virtutis, vitaeque exemplaris, quapropter Abbas officii meruit sui Coenobii (1621), Definitor (1625), Praesulque Salmanticensis Collegii (1629), itemque ob eloquentiam concionator primum Generalis, et deinde quoque Regis Catholici Philippi IV. Post adimpletum Generalatus officium designatus est Abbas Sti. Martini Matritensis, quod Coenobium iterum rexit an. 1645—49, et tandem an. 1652 Episcopus Almeriensis creatus est, post biennium Auriensis (19. Jan 1654), et denique Zamorensis (1659). Supremum obiit diem in odore Sanctitatis 12. Julii 1660, relictis quoque doctrinae suae monumentis, quae illo tempore inter confratres plurimi sunt habita, ut suo loco fusius ostendemus.²⁾

48. Benedictus de la Serna, 1637—41,

hispalensis, votis monasticis Domino se mancipavit in patrio Sti. Benedicti Monasterio, ex quo ad studia egressus, mirum in modum in eis profecit, unde Lectoris Philosophiae ac Theologiae munere multis annis adimplevit in Collegio Hirachensi primum, deinde in Universitate Salmanticensi, ubi laurea Magisterii decoratus fuit. Abbas extitit Monasterii Exlonzae an. 1633, itemque Coenobii suae professionis an. 1649, iterumque 1661. Vir valde eruditus et doctus, Maecenasque doctorum sui temporis virorum praecipue vero eruditissimi Nicolai Antonii, qui opus egregium „Bibliotheca Hispana“ in Monasterio Sti. Benedicti perfecit. Ipse quoque

¹⁾ Argaiz, »Perla«, 249, 478; »Soledad«, II, 252—53; Gams, 38; Lafuente, V, 575; Huesca, »Teatro de las Iglesias de Aragon«, VIII, 173—4.

²⁾ Argaiz, »Perla«, 251, 256, 399, 459, 478; »Soledad«, I, 209; III, 302; V, 240; Ferotin, 206; Gams, 6, 55, 92; Lafuente, V, 539, 551, 556.

doctrina præceluit, magnumque nomen sibi comparavit opere pro Immaculato B. Mariae V. Conceptu evulgato. Decessit e vita in Coenobio Hispalensi anno 1665.¹⁾

49. Gabriel de la Riba de Herrera, 1641—45, natus apud Fanum S. Andreae, tunc Archidioecesis Burgensis, habitumque monasticum suscepit in Monasterio S. Isidori de Dueñas, postea vero factus Conventualis Coenobii Onniensis. Studia incoepit in Collegio Samonensi, complevitque in Salmantino: deinde Prior extitit Sti. Isidori, atque Concionator Onniensis et an. 1625. Abbas Isiderianus evasit, postea socius Abbatis Generalis (Joannis Diaz), et an. 1633 Praelatus Hirachensis, illoque quadriennio expleto Definitor. (1637—41). In Capitulo Generali an. 1641 ipsi conceditum fuit regimen totius Congregationis necnon et Abbatiae Ripae Silensis, quam resignavit ut liberius praecipuo muneri vocare ipsi liceret. Generalatu absoluto, designatus est Abbas Naiarensis, et deinde Definitor. Amore solitudinis in Coenobium Onniense iterum se recepit, recusavitque Abbatiam Hirachensem ei anno 1653? oblatam seu potius designatam in Capitulo Generali, post cuius celebrationem ad Coenobium Onniense rediit, ibique piis lectionibus ac meditationibus vacans mortem expectavit, quae post diuturnum morbum patientissime toleratum advenit die 19. Decembris 1654. In omnibus dignitatibus fuit integerrimus, superbis terribilis, humilibus vero multum affabilis, atque in administranda re familiari valde diligens, unde Generalatus sui tempore omnibus Monasteriis totique Congregationi plurimum profecit.²⁾

50. Joannes Manuel de Espinosa, 1645—49, nobilissimo genere Hispali natus, habitum religiosum induit una cum minore fratre Ludovico apud B. Mariam V. Montisserrati die 18. Julii 1619. Exinde missus est ad Universitatem Hirachensem ut studia philosophica addisceret, et postea Salmanticam ut Theologica completeret. In Montemserratam reversus, muneribus Lectoris et Cellerarii functus est (1629, 33) deinde Procuratoris Matritensis usque ad 1637, et tandem a fratribus revocatur ut regimen Asceterii susciperet an. 1641. Paulo post, Principatu Gotholaunico adversum Regis gubernium sublevatur, et Abbas cum omnibus monachis et eremitis regnorum Castellae in exilium mittitur. A Philippo IV. perhumane suseptus, locum ab ipso assignatum Matriti ad novam fundationem Montemserratam novum appellavit. Post officium Generalatus eiusdem fundationis curam suscepit titulo Praesidentis usque ad an. 1653, quo ob suam in Regem fidelitatem ab eodem Philippo IV. pro Urgellensi Sede

¹⁾ Argaiç, »Perla«, 251, 256, 403, 478; Ferotin, 211.

²⁾ Argaiç, »Perla«, 257, 259, 381, 389, 478; »Soledad«, II, 394.

praesentatus est, consecrationemque accepit episcopalem in nova Ecclesia Montserratensi. Deinde anno 1664 promotus fuit ad Archiepiscopatum Tarraconensem, cuius gubernacula tenuit usque ad diem 12. Februarii an. 1672, quo virtutibus clarus, praecipue liberalitate in pauperes, aequanimitate necnon devotione erga B. Mariam V., meritisque plenus obdormivit in Domino.¹⁾

51. Martinus de Riaño, 1649.

Burgensis, nobili genere progenitus, monachus patrii Coenobii S. Joannis Baptistae; Philosophiae Lector apud Ripam Silensem, Theologiae vero in Universitate Ovetensi aliisque Congregationis Collegiis. Fuit quoque Abbas Monasterii Burgensis, itemque Nostrae Dominae Sopenanensis (1649) Concionatorque generalis, necnon Regis Catholici Philippi IV, qui Episcopatum quoddam Indiarum ei obtulit. Electus Abbas Generalis mense maio an. 1649, paulo post ex Matrilo in suum Coenobium pergens, laethalem in morbum incidit, vixque ad Monasterium pervenit cum Sacramentis rite munitus animam Deo reddidit designatus iam Episcopus Legionensis.²⁾

52. Franciscus Salvador, 1649—53,

a Lumbreras in montanis Vallisvenariae, habitum suscepit die 17. maii apud S. Benedictum de Sahagum. Completo studiorum cursu, tum in Collegio Ripa Silense tum in Universitate Salmantina, Philosophiam et Theologiam tradidit in Universitate nostra Hirachensi, cuius etiam Rector extitit, Doctorisque laurea insignitus, fuit quoque Professor in Ovetensi. Religione ac ingenio magni habitus apud sodales suos, an. 1641 designatus fuit Secretarius Abbatis Generalis, deinde Abbas Sahaguntini Coenobii (1645), ubi Synodum congregavit, utpote Nullius Dioecesis, postea Definitor (1649) cum iure successionis ad Generalatum, si vacare contingerit, ut reapse factum est. Expleto cum laude supremo Congregationis munere, commendata fuit eidem Abbatia S. Martini Matritensis, ubi die Dominica „Quasimodo“, 18. Aprilis 1654, meritis plenus vitae cursum complevit.³⁾

¹⁾ Argaiz, »Perla«, 295, 251—56, 478; »Soledad«, II, 67—68, 158: Villanueva, »Viage literario«, XI, 157—58; XX, 50—52; Gams, 77, 87; Lafuente, V, 562, 568. Cf. etiam P. de Murga O. S. B. »Disquisitiones Morales et Canonicas«, Illmo, Espinosae nuncupatas. Lugd. 1676, 2 voll. fol.

²⁾ Argaiz, »Perla«, 260, 261, 478; Heredia, 179—80.

³⁾ Argaiz, op. cit. 261, 264, 380, 478; Escalona, 217; Ferotin 206, qui nescio, quare illum Sti. Aemiliani professum dicit. Confundendus non est iste Abbas Gen. cum alio Francisco Salvador, nat. apud Tordesillas, et professo Cellaenovae, qui an. 1653—57 fuit Abbas S. Mariae de Espino (Argaiz, 396); neque cum Francisco Salvador, qui an. 1591 habitum Montisserati suscepit, et postquam Lectoris munere in variis Collegiis functus fuerat, hoc tempore primariam Cathedralam in Ovetensi regebat. (»Memorial de los Ninnos Escolanes«, edic. Tolosae 1650, p. 37; edic. Manresa, pag. 52).

53. Bernardus de Hontiveros, 1653—57,

ab Ocania, Archidioecesis Toletanae, Nicolas antea dictus, nomen Ordini nostro dedit in Coenobio S. Benedicti Hispalensis, sed professionem emissit apud S. Dominicum de Silos die 8. Decembris 1611. Studiorum curriculum complevit tum in Collegio Ripasile, tum in Accademia Salmantina, ex qua ad Hirachensem transiit ut Magister Scholasticorum esset. Deinde Lectoris munere apud S. Joannem de Poyo, itemque in Universitate Ovetensi per plures annos functus est, atque Magisterii laurea decoratus, ibidem munus quoque gessit abbatiale ab an. 1649 ad 1653, quo salutatus fuit Generalis totius Congregationis, in cuius visitatione observans atque rigorosus se praebuit. Postea Matritensem Sti. Martini Abbatiam suscepit regendam, ex qua an. 1658 ad Episcopalem Cathedram Calagurritanam evector est, ubi Optimi pastoris officium prudentissime obivit, atque doctrina et pietate clarissimus decessit e vita cum magno sanctitatis odore die 2. Novembris an. 1662. Bene de Ecclesia meruit ob laxitatem quorundam theologorum scriptis confutatam, quapropter iterum de eo pertractabimus.¹⁾

54. Didacus de Silva y Pacheco, 1657—61,

claris ortus natalibus, monasticam vitam amplexus est in Coenobio S. Joannis Bapt. Burgensis, ex quo studiorum causa ad Hirachense missus, deinde ad Salmantinam Universitatem, ubi cursus egregie complevit, quapropter iterum ad Hirachensem Accademiā missus est ut Philosophiam traderet, ibique Magister quoque Scholasticorum, studiorumque Regens extitit, atque academicos gradus obtinuit. Iisdem muneribus postea per quadriennium in Sti. Vincentii Collegio Salmanticae perfunctis, itemque in Exlonza, Magister Generalis a Congregatione nominari meruit, necnon Catholicae Maiestatis concionator. Praeterea Burgensem rexit Abbatiam, ubi eodem tempore monachis Theologiam moralem tradidit, bisque Matritensem Sti. Martini (1650, 1661), cuius praecipua construxit aedificia. Ibidem pro Sede Accitana consecratus fuit Episcopus die 6. maii 1668 ab Emmo Cardinali Borromeo apud Regem Catholicum Nuntio, assistentibus Aegidio Colona O. S. B. Archiepiscopo tit. Amaseno, et Petro de Rojas Archiepiscopo et Sedis Abulensis Praesule. Deinde anno 1675 ad Asturicensem Dioecesim transiit, biennioque post mortalem cursum finivit in pervigilio transitus beatissime P. N. Benedicti (1677) doctrina non minus quam dignitatibus suo tempore clarus ut cum de scriptoribus agetur patebit.²⁾

¹⁾ Argaiç, »Perla«, 264, 269, 478; »Soledad«, II, 357v—59; Berganza, II, 343; Gams, 22; Lafuente, V, 534; Ferotin, 206, 242—43.

²⁾ Argaiç, »Perla«, 269, 271, 399—400, 469, 478; »Soledad« I, 194v, Lafuente, V, 541, 544; Gams, 4, 8; Ferotin 206.

55. Joannes de Dueñas, 1661,

Palentinus, monachus Coenobii Sti. Stephani Ripae Silensis, vir doctus laureaque magisterii insignitus, qui Lector atque studiorum moderator in pluribus Collegiis Congregationis extiterat, unde merita sibi comparavit ad dignitatem primum abbatialem, et deinde ad supremam Congregationis directionem capessendam. Electus in Generalem iter arripuit iuxta morem praedecessorum suorum ad sacram visitationem faciendam in Monasterio B. Mariae N. de Monteserrato ejusque Praelatum eligendum, at perveniens in Monasterium Sti. Aemiliani, morbo lethali correptus, ibidem quievit in Domino mense Octobri ejusdem an. 1661.¹⁾

56. Rudesindus de Móxica, 1661—65,

Matritensis, collum suum sanctae Regulae subiecit in Monasterio Cellaenovae, et inter alia munera in Congregatione obtenta, a Secretis fuerat Rmi. Didaci de Silva, eratque tunc Regiae Maie-statis Concionator. Successit in Generalatu ob mortem Praecedentis, eiusque quadriennium complevit, post quod factus est Abbas novi coenobii Stae. Mariae de Monteserrato Matritensis.²⁾

57. Joannes de la Riba, 1665—69,

a Riuloba in montanis Asturicensibus, habitum religionis accepit in coenobio Onniensi. Expleto studiorum curriculo, Philosophiam docuit in Collegio Ripa Silensi, Theologiam vero in Ovetensi et Podiensi ubi studiorum quoque moderator fuit, itemque in Exlonza, praeterea Magisterii laurea decoratus, unde Abbas Coenobii sui eligi meruit an. 1657, et postea Definitor (1661), iterumque Onniensis Praelatus an. 1665; sed cum eodem tempore regimen totius Congregationis eidem concreditum fuisset, Abbatiam resignavit an. 1667. Absolutus a Generalatu, electus fuit Abbas Sti. Martini Matritensis, (1669—73), ubi postea remansit degebatque anno 1675.³⁾

58. Antonius de Heredia, 1669—73,

a Daimiel, Dioecesis, Conchensis, monachus Stae. Mariae de Sopetran, eiusque Abbas semel (1657—61) et iterum (1665—69), necnon et Definitor (1661—65). Bene de Congregatione meruit ob scripta ab eo edita, vel eiusdem iussu evulgata, de quibus suo loco tractabitur. Iterum fuit Definitor ab an. 1673—77, post quod Abbatiam Stae. Mariae Montisserrati Matritensis gubernandam

¹⁾ Argaiz, »Perla« 272, 478; Berganza, II, 344, qui dicit obiisse post duos menses ab eius electione.

²⁾ Argaiz, »Perla«, 272, 273, 478; »Soledad«, I, 147; Berganza, II, 344.

³⁾ Argaiz, »Perla«, 273, 74, 400, 478; »Soledad«, VI, 522; Ferotin, 207.

suscepit (1677) necnon et Hirachensem, et tandem iterum invenitur Matrili an. 1687 inter conventuales Sti Martini.¹⁾

59. Josephus Gomez, 1673—75,

a Ciempozuelos Archidioecesis Toletanae, monasticum induit habitum in Monasterio Stae. Mariae Naiarensis. Philosophiam atque Theologiam tradidit in Collegiis Congregationis, nempe, in Celorio, Oveti ac Salmanticae, ubi magisterii gradum adeptus est. Doctrina et praedicatione clarus ad Abbatiam Naiarensis conscendit an. 1669, cumque optime se gessisset ad supremam Congregationis dignitatem an. 1673. Post biennium e vivis sublatus est in Monasterio Stae. Mariae de Sopetran mense Octobris an. 1675.²⁾

60. Andreas de la Moneda, 1675—77,

Burgensis, monachus Coenobii S. Joannis Baptistae eiusdem Civitatis, Lector Philosophiae ac Theologiae in praecipuis Collegiis Congregationis, et Magisterii laurea insignitus, doctrinaque praeclarus, Abbas Coenobiorum Burgensis et Hirachensis, mense Decembris an. 1675 loco decessoris salutatus fuit Abbas Generalis ut eius quadriennium comperet, hocque finito Abbatiam S. Martini Matritensis regendam suscepit. Tandem an. 1684 ad Episcopalem Cathedram Urcensem seu Almeriensem ascendit, ibique meritis plenus quievit in Domino die 13. Martii 1687.³⁾

61. Benedictus Salazar, 1677—81,

ab oppido Baños de Rio Tovia, Dioecesis Calagurritanae, vitam religiosam incoepit in perantiquo Sti. Aemiliani Coenobio, impletoque Studiorum curriculo, Philosophiam et Theologiam docuit, officioque a Secretis Congregationis auctus est. Abbatiam S. Salvatoris de Lerez per sexennium rexit, bisque suam Aemilianensem, et semel Stae. Mariae Montisserrati Matritensis. Inter regios theologos pro tuenda Inmaculata B. Mariae V. Conceptione cooptatus, necnon inter Qualificatores Supremae Inquisitionis, tandem Chiapensis in Regno Mexicano Sedes ipsi oblata est, sed illam omnino recusavit. Post munus Generalatus laudabiliter expletum, ad Episcopalem Cathedram Barchinonensem assumptus est, cuius possessionem obtinuit die 4. Aprilis 1683. Dioecesem hanc magna fortitudine in ecclesiasticis iuribus tuendis parique prudentia in popularibus tumultibus paccandis gubernavit Obiit die 23. Septembris an. 1691.⁴⁾

¹⁾ Argaiz, »Perla«, 274, 76, 385, 472, 478; »Historia de Sopetran« 180—81.

²⁾ Argaiz, »Perla«, 276, 478; »Soledad«, II, 395; Berganza, II, 349.

³⁾ Argaiz, »Perla«, 276, 471, 478; Ferotin, op. cit., 207; Gams, p. 6; Lafuente, V, 539.

⁴⁾ Argaiz, »Perla«, 478, 479; »Villanueva, »Viage literario«, XVIII, 70—71; Aymerich (Matth.), Nomina et Acta Episcoporum Barcin.« pag. 423—24, edit. Barcin. 1760; Lafuente, V, 563; Gams, p. 15.

62. Josephus Ruiz del Sotillo, 1681,

ab Alfaro in Rigovia, Dioecesis Calagurritanae, monasticam vitam inchoavit in Asceterio Stae. Mariae Vallisvenariae. Nihil aliud de eo novimus nisi quod virtute ac doctrina sua dignus inventus fuerit Congregationem moderandi. Verum tamen septem tantum mensibus Generalatus munere functus est, siquidem sacrum B. Mariae V. de Monteserrato Asceterium visitans pro electione Abbatis eiusdem, iuxta consuetudinem praedecessorum suorum, paulo post Barcinonam pertransiens, ibidem ipse eiusque socius P. Benedictus Rodriguez e vita migrarunt eadem die, nempe, 14. Novembris 1681.¹⁾

63. Josephus de Zañartu, 1681—85,

nobilibus ortus parentibus in clarissima urbe Hispalensi, sacrae militiae nomen dedit ibidem in Coenobio Sti. Benedicti, cuius Abbas factus est an. 1677. Fuit quoque Studiorum Moderator in Collegio S. Vincentii Salmanticensis, Magisterii gradu remuneratus atque Theologiae Doctor illius Universitatis in qua Primariam Cathedram possedit usque dum morte Praedecessoris gubernacula Congregationis iuxta Constitutiones suscipere debuit. Anno 1685 electus est Abbas Sti. Martini Matritensis, sed illico hanc Prae-laturam dimisit; postea iterum baculum Monasterii Hispalensis ei traditum est an. 1701, quo etiam ipsi commissum est praesidere coetui monachorum, qui a Capitulo generali selecti sunt ad leges Congregationis ordinandas et emendandas.²⁾

64. Anselmus Gomez de la Torre, 1685—89,

a Cabezon de la Sal, Archidioecesis tunc Burgensis, fuit monachus S. Zoili de Carrion, Vespertinae cathedrae in Ovetensi Accademia Moderator atque Abbas Monasterii Hispalensis (1685). Ob vitae sanctimoniam doctrinaeque laudem ad supremam Congregationis dignitatem extolli meruit, et deinde ad Episcopalem Sedem Tudensem ascendere, et in ea sedit usque ad an. 1721 quo iterum ad portum Religionis confugit, vitamque finivit magno Sanctitatis odore in Monasterio Cellaenovae an. 1722.³⁾

¹⁾ Berganza, II, 357. Liber obituum Montisserrati Sepult. Ia. haec habet: »Ntro. Rmo. Ruiz. A 14 de Noviembre de 1681 murió Ntro. Rmo. P. et Mo. Fray Joseph Ruiz, Gl. de Ntra. Sagrada Religion, en Barna., y fué enterrado en este Carnero á 16 de dicho mes y año; era hijo de Valvanera.«

»Ntro. P. Rodriguez. A 14 de Noviembre de 1681 murió Ntro. P. F. Benito Rodriguez, Visitador de la Religion, en Barna., y fué enterrado en este carnero á 15 de dicho mes y año; era hijo de Valvanera.« Fallitur, ergo, P. Filgueira, qui hunc Abbatem Generalem Cellaenovae professum fuisse credidit.

²⁾ Heredia, O. S. B. in Opere »Vidas de Santos etc. O. S. B.« an. 1683 edito, et huic Generali dedicato — Constitutiones — edit. Matrity 1706; Ferotin, 207, 211.

³⁾ Berganza, II, 358; Ferotin, 211; Lafuente, V, 555; Gams, 85; Rodriguez Blanco. (Ricardo) »Apuntes históricos de Tuy«, ibid. 1879, pag. 240—241.

65. Antonius de Arroyo, 1689—93,

ex provincia marchiae Liminitanae ortu procedens, monachus vero S. Martini apud Compostellam, in Galloecia, „ob innocuae vitae candorem et exactam regularis disciplinae observantiam, post alios debitos honores, supremum Religionis caput et desideratissimus Generalis efficitur,“ ait Cl. P. Em. Navarro, O. S. B. „Supremo Congregationis regimine feliciter functus, ad Abbatiales Infulas Sti. Martini aput Regiam Matrili evectus, nedum subditis, sed et curiae, nedum domesticis sed extraneis gratissimus se praebuit, et ob singularem ac mitissimam indolem, et Monasterio, cui praefuit, tantopere profuit, seu spiritualia promovens, seu temporalia administrans ut omnium sibi corda et animos certatim devinctos haberet; dumque eo munere expleto, dira mors, virum heu! futurum immortalem duobus abhinc annis arripuit, omnes se Patrem perdidisse communibus lacrymis testati sunt.“ Haec scribebat Cl. P. Navarro an. 1701, ni fallimur, unde novimus Rmum. P. Arroyo e vivis decessisse an. 1699.¹⁾

66. Enneco Royo, 1693—97,

Bilbilitanus origine, professione vero Montserratensis, habitum monasticum induit in hoc B. Mariae V. Sanctuario die 29. Martii 1663. Exinde ad studia in Collegiis monasticis perficienda profectus, ita excellens doctrina evasit ut non multo post in Salmanticensi Magister Scholasticorum institueretur atque Magisterii laurea decoratus Cathedram Vespertinam in illa Universitate regeret (1675) primum quidem Philosophiae deinde vero Theologiae. Nihil amplius de eo novimus, neque vitae finem adhuc comperimus, cum non inveniatur eius obitus in Necrologio huius Monasterii, etsi inscripti sint in eo alii plurimi extra Coenobium defuncti.²⁾

67. Anselmus de la Peña, 1697—1701,

gallaicus genere, monachus Coenobii Samonensis, cuius fuit quoque Abbas anno 1689. Post expletum Generalatus officium, renuntiatus est Praesul Matritensis Sti. Martini Coenobii (1701—5) et tandem

¹⁾ Berganza, loc. cit.; Ferotin, 207; Navarro (Emmanuel) »Tractatus de Sacrosancto Trinitatis Mystero,« Salmanticae, 1701, in praefat. nuncupatoria ad Abbatem et Monachos Sti. Martini Compostellani.

²⁾ Confundendus non est hic Abbas Generalis cum alio Ennecone Royo, Seniore, item Bilbilitano, pariterque monacho Montisserrati, ubi indutus est die 30. Oct. 1624, qui fuit unus ex illis qui novum Montemserratam Matrili fundarunt. Deinde designatus fuit Abbas Sti. Victoriani in Aragonia (1648), postea promotus ad Archiepiscopatum Turritanum in Sardinia (1660). Post decennium translatus est ad Sedem Episcopalem Albarracinensem in Hispania, (1670) et tandem ad Barbastrensem (1673). Decessit Caesaraugustae dum celebrabantur Comitia generalia Regni Aragonici, die XIV Junii 1680. »España Sagrada« XLVIII, 68, 71. Huesca, opus cit. VIII. 265—66. Lafuente, V, 574; Gams, 5, 92, 840.

ob vitae meritum an. 1717 ad Cotronensem in Regno Neapolitano Sedem elevatus est, cuius tamen possessionem non nisi post biennium suscepit. Deinde an. 1723 translatus fuit ad Ecclesiam Agrigentinam, cui praefuit usque ad mortem, nempe usque ad diem 4. Augusti 1729.¹⁾

68. Benedictus de la Torre, 1701—5,

fuit natione cantaber, habitumque monasticum suscepit in Monasterio Sti. Joannis Baptistae Burgensis. Quae tamen munera tum ante Generalatum, cum post illum adimpleverit nobis adhuc incompertum est, cum neque catalogi, neque P. Berganza nihil aliud quam eius nomen exhibeant.²⁾

69. Joannes Baptista Lardito, 1705—9,

parentibus Januensibus Matriti ortus est, atque ibidem ordini benedictino dedit nomen in Coenobio Sancti Martini. In studiis ecclesiasticis maxime enituit et plures cathedras diversis in locis habuit. Anno vero 1691 cum Rex catholicus Carolus II. Benedictinis concesserit ut adinstar aliarum Religionum duas pariter Cathedras haberent in alma Universitate Salmantina, P. Lardito pro meritis Primariam obtinuit. Fuit quoque Archiepiscopatus Toletani Synodalis Examinator, atque pro Immaculata Conceptione B. Mariae V. regius Theologus. Post munus Generalatus Abbatiam suam gubernavit (1709—13), et tandem an. 1717 pro Charadignense designatus est, quam tamen recusavit. Claruit doctrina ut Commentaria in S. Anselmum et pro defensione fidei catholicae testantur.³⁾

70. Petrus Magaña, 1709—13,

natus Variæ (Alfaro) in Rigovia, vitam monasticam profusus est apud S. Martinum Compostellanum, fuitque unus ex Magistris Generalibus Congregationis. Degebat Matriti cum Stae. Sedi praesentatus a Philippo V. pro Sede Celsonensi in Gotholaunia, cuius possessionem suscepit per procuratorem die 7. Augusti 1717. Ipse non multo post Dioecesim ingressus, cum illam tribus mensibus undecimque diebus gubernasset, morte peremptus est die 3. Februarii an. 1718.⁴⁾

71. Melchior de Morales, 1713—17,

illustri genere ortus Numantiae in Dioecesi Oxomensi, divino servitio se mancipavit in Monasterio B. Mariae V. Vallisvenariae, cuius Abbas extitit primum a. 1697, deinde an. 1705 iterumque

¹⁾ Gams, 879, 943; Ferotin, 207.

²⁾ Berganza, 260.

³⁾ Berganza, II, 358, 360, 364; Ferotin, 207. Opera V. Fr. Josephi a Sto. Benedicto, aliaque illo tempore a monachis edita.

⁴⁾ Berganza, II, 362; Villanueva, IX, 81; Lafuente, VI, 310; Gams, p. 75.

electus 1709, unde cum optime se gessisset ad Praefecturam totius Congregationis capiendam vocatus est, qua expleta, abdicatisque infulis Sti. Martini Matritensis, quas Comitibus generalia ei paraverant, ad solitudinem Asceterii sui confugit. Verum tamen ita virtute clarebat ut illum Philippus V. extrahere inde conatus est pro Episcopali Sede Ampuriensi in Sardinia, quam P. Morales urbanissime ac modestissime recusavit. Paulo post electus fuit Episcopus Jacensis in Aragonia, sed iterum, ob humilitatis et solitudinis amorem et desiderium, Episcopalem dignitatem declinavit, sicuti et Abbatialem sui Asceterii, ad quam designatus est an. 1725. Itaque, ut optabat, ibidem vitam finivit an. 1731 magna Sanctitatis opinione clarus.¹⁾

72. Benedictus Panyeles, 1717—21,

a Villafranca del Panadés, Dioecesis Barchinonensis, habitum benedictinum induit die 1. Januarii 1688, aet. 18, in Monasterio Sti. Felicis Guixolensis, ibique anno sequenti die 2. Januarii solemnem emisit professionem. Statim ad Collegium Sti. Stephani Ripae Silensis missus est, et anno 1692 ad Salmantinum ut Theologiam audiret, triennioque ibi emenso ad Exlonzam ut ipsam repeteret. Ingenio praeclarus paulo post munus docendi Philosophiam in Collegio Lerezensi accepit. Ex eo, anno 1705, ad Abbatialem dignitatem sui Coenobii evectus est, et in ea ita praeclare se gessit, ut iterum atque iterum confirmatus, illam habuerit usque dum Capitulum generale, 1717, supremam Congregationis directionem ipsi tradidit. Tandem Philippus V., die 4. Aprilis an. 1730, pro Episcopatu Maiovicensi S. Sedi eum praesentavit. Consecrationem accepit die 17. Septembris sequentis in Ecclesia Monasterii Montisserrati Matritensis, et statim ad Dioecesim profectus, illam per tredecim annos sapienter administravit. Mortalem cursum finivit die 26. Novembris an. 1743, sepultusque est in sacello, quod ipse S. P. N. Benedicto in illa Ecclesia dicaverat et in eius laudem sculptum est, quod eius „obitu amisit Salmantica Magistrum, heroem Benedictina Religio, filium Gotholaunia, Maiorica Patrem.“²⁾

73. Antonius Sarmiento, 1721—25,

ex antiquorum Regum Legionensium stirpe progenitus in Galloecia primam lucem aspexit, atque in Monasterio Samonensi Christo Domino se mancipavit. Virtute non minus quam nobilitate praeclarus, anno aetatis suae trigesimo tertio ad Abbatialem digni-

¹⁾ Berganza, II, 363; Ferotin, 207; Ximenes Barranco (Michael) O. S. B., »Incognitus per se cognitus«, Matrili 1720.

²⁾ Catalogus Ms. Abbatum Guixolensium. Villanueva, XV, 17; XXII, 154; Lafuente, VI, 313; Gams, pag. 48.

tatem promoveri meruit in suo Coenobio (1717), et in sequenti Capitulo Abbas Generalis salutatus est. Praeterea fuit maior Definitor, necnon et regius theologus pro tuenda Immaculata B. Mariae V. Conceptione, atque Archidioecesis Toletanae Synodalis Examinator. Cumque in hisce muneribus fungendis praeclare se gessisset ad Episcopatum Jacensem in Aragonia elevatus est anno 1728, et paulo post ad Mindoniensem in Galloecia, ubi decessit e vita die 18. Oct. 1751.¹⁾

74. Josephus Barnuevo, 1725—29,

Numantiae lumen vidit „ex illustrissima progenie nobilissimoque sanguine genitus“ sicut testatur Cl. P. Hieronymus Benedictus Feijoo eius discipulus qui primitias laborum suorum ipsi dedicavit, eodemque auspice in lucem prodierunt. Abbas fuit Lerezensis et Hirachensis atque hoc tempore Regni Navarrae pro Statu Ecclesiastico in Curia et in Comitibus Generalibus Deputatus. Item fuit Abbas Matritensis (Sti. Martini, 1717—21), et tandem post adimpletum Generalatus officium, die 12. Aprilis 1730 postulatus est ad Sedem Episcopalem Oxomensem, quam per quinquennium possedit relinquens gratam Pontificatus sui memoriam. Ibidem in pace quievit die 25. Junii an. 1735.²⁾

75. Franciscus Berganza, 1729—33,

Burgensis, Monachus perantiqui Coenobii S. Petri de Charadigna eiusdem Archidioecesis, et Congregationis suae concionator generalis. Magnis extollitur laudibus a clarissimis viris O. N. Benedicto Feijoo et Martino Sarmiento, qui eidem nonnulla scripta nuncuparunt. Praecipue laudant strictissimam eius paupertatem, ob cuius observantiam nihil aliud praeter libros in cella habebat. Claruitque doctrina scientiaeque vere encyclopedica, magnumque nomen sibi comparavit scriptis quae in lucem edidit.³⁾

76. Bernardus Martin, 1733—37,

ortus est mundo in provincia Campaniae Vaccoeorum, Religioni vero in Monasterio Sti. Claudii Legionensis, cuius ob sapientiam, prudentiam atque morum suavitatem Abbas esse meruit, sicuti et Sti. Isidori de Dueñas. Fuit quoque semel et iterum Definitor, et munere Praedicatoris generalis insignitus, quibus officiis merita sibi comparavit ad gubernacula Congregationis capessenda an. 1733.

¹⁾ Feijoo »Teatro critico«, tom. I et II (hic Rmo. Antonio Sarmiento dedicatus). Lafuente, VI, 317, 299; Gams, 38, 53; Huesca, Op. cit. VIII, 195.

²⁾ Opera V. F. Josephi a Sto. Benedicto; Feijoo, »Teatro critico«, t. I; Ferotin, 207; Lafuente, VI, 287; Gams, 57.

³⁾ Feijoo, »Teatro critico«, IV, V; et eiusdem »Ilustracion Apologética«; Sarmiento, »Demonstracion« pro P. Feijoo. Matrili 1732.

Ipsae quoque studia fovit atque Processionale monasticum, quod suus praedecessor confecerat, auctoritate sua in lucem produxit.¹⁾

77. Michael de Herce, 1737—41,

Calagurritanus, monasticam vitam incoepit in Coenobio Sti. Petri de Arlanza Archidioecesis Burgensis, Lauream magisterii promeruit in Accademia Salmantina, cuius Primariam Theologiae Cathedram obtinuit. Fuit pariter Magister generalis Congregationis, Theologiae Doctor, regiusque theologus pro Immaculata-V. Mariae Conceptione, atque Abbas S. Vincentii-Salmanticensis, necnon et Sti. Martini Matritensis (1741). Cl. P. Feijoo laudat eius litterarum studium, nam tempore, quod munera ipsi iniuncta liberum sinebant, semper calamum aut librum in manibus habebat. Excelluit quoque zelo religiosae observantiae, propter quod ad altiora Congregationis officia pervenit.²⁾

78. Anselmus Mariño, 1741—45,

nobilibus ortus est progenitoribus apud S. Petrum de Batallanes, Dioecesis Tudensis in Galloecia, et monasticum amplexus est institutum in Monasterio Sahaguntino die 19. Januarii 1702. Ab initio conversionis suae apparuit virtute non minus quam ingenio praeditus, itaque, emenso praeclare studiorum curriculo, Philosophiam atque Theologiam docuit in Collegiis Congregationis, et anno 1725 ad Infulas Monasterii Sahaguntini capessendas designatus est, deinde ad Exlonzenses (1733), quadriennioque completo Visitor generalis, et tandem Supremum Congregationis caput (1741). Expleto feliciter generalatus munere, in Sahaguntinum Coenobium secessit, ubi sanctis operibus deditus, meritisque plenus, animam Deo reddidit, post suscepta devotissime sacramenta, die 16. Junii an. 1747.³⁾

79. Placidus Cortada, 1745—49,

natus Tarrasae, Dioecesis Barcinonensis, divino servitio se mancipavit in Sanctuario B. Mariae Virginis de Monteserrato, ubi sacrum induit habitum die 18. Julii an. 1698, atque solemnem emisit professionem die 2. Augusti 1699. Ob vitae meritum, inter alia munera ei concedita, bis commendata est Abbatia annexa Sti. Benedicti de Bages, et deinde semel Montserratensis (1737—41). Definitoris quoque munere functus, ad supremam Congregationis

¹⁾ Feijoo, »Teatro critico«, VI, VII; Vergara, »Vida y Milagros de Sto. Domingo«, Matriti, 1736, pag. 125.

²⁾ Feijoo, op. cit. tom. VIII, atque »Suplemento« ei nuncupatum; Prefatio in Vitam V. F. Josephi a Sto. Benedicto (1746); Ferotin, 207.

³⁾ Escalona, Historia de Sahagun, 226; Feijoo, »Cartas criticas« t. I, II.

dignitatem pervenit anno 1745. Postea per quadriennium Abbatiam Sti. Martini Matritensis gubernavit, et denique in Montemserratum se recepit, atque in grangia, pro senibus et infirmis ad radices sacri montis tunc destinata, e vita migravit 14. Novembris anni 1756.¹⁾

(Continuatio sequitur.)

Die Veranlassung des Römerbriefes des heiligen Apostels Paulus.

Von Dr. E. K. Kortschak (Stift Rein).

(Schluß zu Heft I. 1907, S. 71—83.)

II.

Bei mehreren der alten lateinischen Exegeten finden wir die Frage nach der Veranlassung des Römerbriefes dahin beantwortet, es sei diese in Streitigkeiten in der römischen Christengemeinde zu suchen. So spricht sich der heilige Hieronymus folgendermaßen aus: „epistolam, quae ad Romanos scripta est, ad eos esse dictatam, qui ex Judaeis gentibusque crediderant: et hoc egisse Paulum, ut neuter populus offenderetur: quo scilicet suum utraque plebs privilegium possideret: ut nec gentiles circumciderentur, nec circumcisi adducerent praeputium . . . propter eos, qui ex Judaeis crediderant, ad Romanos de circumcissione sententiam temperavit.“²⁾ Seine Meinung geht also dahin, daß unter den Juden- und Heidenchristen der römischen Gemeinde Streit und Zwiespalt geherrscht habe; dies habe den Apostel zur Abfassung des Briefes bewogen. Hier sei gleich bemerkt, daß Hieronymus an anderer Stelle in Bezug auf unsern Brief schreibt: „ . . . Romanae plebis laudatur fides . . . quod devotio in eis major sit et simplicitas ad credendum.“³⁾ Er betont also das Lob, das Paulus den Römern spendet und in dem wir gerade einen Beweis gegen seine oben angeführte Ansicht sehen müssen.

¹⁾ Vida del V. Ho. José de S. Benito, 1746; »Nueva Historia de Montserrat« 252, 254, 429; Ferotin, 207. In Libro obituum haec leguntur: »Rmo. Cortada. A 14 de Noviembre de 1756 murió en la Granja de la Viña nueva Nro. Rmo. Pe. Mro. Fr. Placido Cortada, Abbad 9e fué de Sn. Benito de Bages y de este Monasterio de Monserrate, y despues Gent. de Nra. Congregacion, y ultimante Abbad de Sn. Martin de Madrid; y á las cinco y media de la tarde (paco mas ó menos) fue traído su cuerpo á este, y al dia siguiente por la tarde fue enterrado su cuerpo en esta sepultura. Al dia siguiente se dijo la Missa solemne Abbacial.«

²⁾ Comm. in ep. ad Gal. 5, 2. Migne S. L. 26. S. 422.

³⁾ Comm. in ep. ad Gal. Migne S. L. 26. S. 381.